
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterva quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miſcellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO V.

De

TEMPE-RANTIA ET FORTITUDINE.

Practico-Philoſophica.

Pro diſputationis exercitio ad ſententiarum collationem propoſita

In Gymnaſio Gedanenſi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

MICHAELE GLAGOVIO

Regiomontano Boruſſo.

Ad diem 6. Februarij. S. N.

In Acroaterio Philoſophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exſcripta. ANNO 1638.

Miscellaneorum
Decadis III. Exercitatio V.

De Temperantiâ & Fortitudine.

I.

B*Landa voluptatis natura est, comptaq́; sed fallax, & incautos subit, ac in nassam irretitos deducit. Venusta est, sed insidiosa meretrix: Voce, vultu, gestu, indumento, inescans. Suavis est, sed fragilis: fastidit objecta, quò avidiùs hausta est, citiùs in contrarium recidens: Cujus subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. Quò admittitur, animum & corpus corrumpit: ac ubi subsedit, nihil tolerabile relinquit.* Smindyrides *ex Sybaritarum civitate fodientem vidit, atq́; altiùs rastrum allevantem: & lassum se fieri questus, vetuit operi in conspectu suo incumbere, narrante* Senecâ l. 2. d. ira. c. 25. *Venientes voluptates blandiuntur: abeuntes luctum & dolorem relinquunt. Et meritò de illis dicas:* Delectat & angit. *Remedio hic opus, quo adversum blandimenta earum contendas. Illud* temperantia *sufficiet, quæ voluptatibus imperat. Alias odit atq́; abigit: alias dispensat & ad sanum modum redigit: nec unquam ad illas ob illas tantùm venit. Vt fortitudo animum adversus illa armat, quibus ab officio quis deterreatur: sic temperantia munit contra illa, quibus ab eodem blandè possis abduci. Vtriq́; in vitâ virtuosâ incumbendum. Et abigendæ voluptates: &* pavor *nimius animo evellendus. Ne aut timor occupet, cum timendum*

non est: aut nimius, ubi modum timori posuisse conveniens est. Quid enim ratione timemus Aut cupimus? rectè Satyricus sat: 10. *Hic medium à* fortitudine *sumes, habitu terribilia edomante, modumq́ ponente. De hoc eleganter* Idem c. l. Fortem, *inquit*, posce animum, & mortis terrore carentem, qui spatium vitæ extremum inter munera ponat Naturæ, qui ferre queat quoscunq́; dolores: Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores Herculis ærumnas credat sævosq́; labores, Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali. *Ad eundem sensum pulcrè* Horatium l. 2. sat. 7. *vide. Vtriusq́ habitus naturam in argumentum præsentis diatribes* cum DEO *insumemus.*

2. *Virtus moralis particularis primaria, usitato gradu spectata, possidentem respectu sui absolutè perficiens,* temperantia & fortitudo *est, ut* d. 3. t. 17. *dictum. Hæ* possidentem respectu sui dicuntur perficere, *non quasi cæteræ virtutes morales particulares, ut liberalitas, modestia, justitia particularis, &c. non perfectionem conciliarent ipsi subjecto, in quo sunt, & quod illas exercet, sed alij ab illo: sic enim quævis virtus moralis* primariò *perfectionem subjecti proprij intendit, ut illud moratum, civile, & civiliter tandem beatum reddatur, eoq́ virtutem moralem à justitiâ universâ differre dictum est* d. 4. t. 7. 25. *Quòd virtus primariò perfectionem subjecti proprii intendat: justitia Vniv: communitatis publicæ, & eorum, quibus cum in societate civili & publicâ conversandum nobis est: Sed quòd actus temperantiæ & fortitudinis* potiùs in agente & subjecto proprio *terminetur, quàm alieno: Actus a. liberalitatis, urbanitatis, veracitatis, justitiæ particularis, modestiæ, potiùs in alienis subjectis terminetur, quàm propriis. Liberalitate juvatur magis alius, quàm nos: Idem in justitiâ & modestiâ fit, Temperantiâ*

&

& fortitudine juvamur proximè nos ipsi, non alius. Honestas *actus & perfectio moralis in agente & subjecto virtutis proprio est:* Terminus *actus & fructus quarundam virtutum potiùs in patiente & alieno.*

3. *Temperantiam* præmittimus *fortitudini*, partim, *quia prius in subjecto morali requiritur temperantia, quàm fortitudo; prius enim mentem à malis affectibus tueri necessum est, quàm urbem ab hostibus, Vt* Casus *loquitur* l. 3. Sp. mo. c. 10. *Et prior ordine naturæ est cupiditas nutriendi & generandi, quàm audendi aut irascendi:* partim, *quia voluptates vincere longè difficilius, quàm hostem superare est. sub blanditijs enim irrepunt,* t. 1. *& nullæ capitaliores illis sunt pestes: meliorq́ qui animo dominatur, expugnatore Vrbium.* Prou. 16. v. 32. *partim, quia multarum Virtutum fundamentum est, ut Cicero vocat ap. Velsten.* d. 6. Eth. q. 1. *Dignitatis & præstantiæ ordine fortitudo antecedere potest. Ita præmittit eam* Aristoteles 3. Nicom. c. 9. *& præmittendam putant* P. Martyr. in l. 2. Nicom. c. 7. Acciaolus in l. c. Piccolomin. gr. 4. c. 51. Eustach. S. Pauli p. 3. Eth. tr. 3. f. 3. q. 1. *alijq́: Sed ipsa temperantiæ tractatio* nominalis & realis *erit.* Nominalis 1. In Homonymia, *ubi interdum* Metaphoricè *etiam brutis tribuitur. Sic aquila temperans dicitur* Aeliano l. 1. c. 6. *quòd sitim patiatur: interdum* synechdochicè *pro magnâ virtutum moralium parte sumitur. Vnde* Cicero 5. Tusc. quæst. §. 42. *temperantiā omnium commotionum moderatricem vocat. Et Græci* σώφρονα *hominem frugi & probum dicunt, qui & aliàs temperans vocatur. Ita* Jonstonus *omnes virtutes nosmet ipsos spectantes temperantiam vocat, & sub eâ autophiliam, abstinentiam & castitatem, sedulitatem, sufficientiam, modestiam, fortitudinem, continentiam, mansuetudinem, &c. comprehendit.*

l.2.Ench. Eth. c.2. mem.2.Alstedius Sys. Eth. 1. c.14. *parsimoniam, vigilantiam, verecundiam & honestatem vel cultus modestiam sub illam redigit. Interdum propriè pro virtute voluptates gustus & tactus moderante sumitur, ut hoc loco.* 2. In Etymologiâ, *quæ Logica nulla, quia vox utimatè abstracta: Grammatica â temperando, quòd officium ejus sit, voluptates quasdam corporis temperare, quòd est q. ad tempus suum, i. e. ordinem modumq́ reducere, ne nimium, ne nimis citò aut serò exerceantur.* 3. In Synonymiâ, *quâ Græcis* σωφροσύνη, *quasi* σώζουσα τὴν φρένα *vel* φρόνησιν, *conservans mentem a. prudentiam dicitur, quia custos ingenij & mentis est. Vnde illud:* anima sicca anima prudens. *Hebræis* אָפִּיק *â rad.* אָפַק, *& in hitpäel* הִתְאַפֵּק, *Continuit, repressit se. Item* עֹצֶר *ab* עָצַר *continuit, coërcuit, occlusit. &c. Germanis* Mässigkeit / Nüchterkeit. Valla l.4. eleg. c.4. *continentiam pro Synonymo temperantiæ habet. Sed proprio Philosophorum significato continentia Virtus non est, sed semivirtus, laudabilis acquisita dispositio, quæ via ad completionem & terminum esse queat, qui temperantia.* V.l.4 Nicom. c.15. Conf. d.9. t.13.

4. Realis *temperantiæ consideratio* vel *absoluta erit in definitione, divisione, & subjectis:* vel *respectiva in cognatis & oppositis.*

5. Definitio *hæc sit.* Temperantia est virtus moralis directa, mediocritatem circa voluptates gustus & tactus utendo vel carendo servare faciens.

6. Genus *ejus est* virtus moralis directa. *Verum hoc genus esse patet* 1. â definitione *Virtutis moralis* d.3.t.4. *traditâ, quæ temperantiæ competit, ut per partes patet.* 2. Ab opposito ejus, *intemperantiâ. Illa est vitium morale, Excessus enim & defectus in persecutione voluptatum gustus & tactus est vitiosus & vituperabilis. E. medium circa illas*

ser-

servare erit virtuosum & laudabile, *& consequenter habitus illud medium servare docens erit virtus moralis. At is est temperantia. Ergò.* Differentia *â formali ratione & objectis, circa quæ versatur, est sumpta. Ex formali ratione dicitur mediocritatem servare faciens* circa voluptates gustus & tactus. *Mediocritatem servare facit, h. e. redigit usum, amorem, & desiderium voluptatum ad prudentẽ moderationem, & ratione objecti, & ratione modi utendi objectum.* V. t. 7. *ne aut nimius ille sit, quàm par est: vel minus necessarius, ac par est. Dicitur* servare facere *magis, quàm absolutè, servare: Nam virtutis est, inclinare & movere ad servandum medium: habitus enim inclinant, mouent & facilitant ad agendum;* Actus *ipsi servant medium*, Virtutes *morales sunt habitus servare medium facientes & inclinantes. Illud medium servare facere & redactio ad moderationem esse debet* quoad *inordinationem, quoad intensionem, extensionem, protensionem, modum: non totalis appetitus ad voluptates eradicatio aut evulsio. Rectio a. voluptatum in temperantiâ fit* & rectæ rationis præscripto, *ut oblatis voluptatibus non statim appetitum sequamur, sed prius attendamus, quid, quantum, quamdiu, qualiter eas usurpare recta ratio, perpetuum dirigens & comes mediocritatis virtuosæ*, dis. 3. t. 12. 14. *dictet & præscribat: & privati illis aut totaliter eas contemnamus, aut moderatè appetamus, non ultra honestatem. Nam recta ratio & voluptatib. absentib. moderatum desiderium, & præsentibus prudentem indicit usum. Cogitandum hic: Non natos nos ad cibos potusq; percolandos, sed domandos affectus.* Vid. Senecam præf. l. 1. na. qu: Et appetitus obsequio, *ut rationem sequatur appetitus, & harmonia sit inter rationem præscribentem & appetitum exequentem:* & exemplorum *similium vel oppositorum con-*

sor-

fortio, ut exempla præstò sint vel *temperantium, indequè honestatis laudem adeptorum; ut Catonis, Scipionum, Xenocratis, Themistoclis, Socratis, Philini, Johannis Baptistæ, aliorumq́, quorum farrago ingens in* Polyantheis, Valerio M. l. 4. c. 3. 5. Apolephte p. 1. erquickst. p. 525. 626. seq: Camerar. C. 2. c. 35. 36. Drexelii Nicetâ, *alÿsq́ reperitur:* Vel *intemperantium indequè vituperatorum, quibus ad temperantiam validè nos incitari posse respondit Anacharsis Philosophus* ap Laertium in vit: Phil: *Ita Lacedæmonii servos ebrios in conspectum juvenum ducebant, ut ineptos eorum mores abominati temperantiæ suescerent.* Erasm. l. 2. apopht. §. 25. *Horum exempla ap.* Valerium l. 9. c. 1. Apolept. c. l. p. 602. seq: *aliosq́ suppetunt.* Christianus *insuper* scripturæ præceptum *considerabit, temperantiam jubens, contrarium prohibens.* 1. Pet. 5. v. 8. Ephes: 5. v. 18. 1. Thess. 4. v. 3. 4. Heb. 12. v. 14. *Aliaq́ media Theologica adhibebit, de quibus* D. Brochm. T. 2. L. C. p. 212. Alstedius Th. Cas. c. 19. Amesius l. 3. d. Consc. c. 15. *alÿq́ videantur. Magistratus etiam in Republicâ leges temperantiæ figet, intemperantiam prohibebit. Ita ap. Romanos leges sumptuariæ in edulÿs, Orchia Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Antonia, erant. Apud Athenienses Oenoptæ, quid quiq́ in convivio biberet, observabant.* Athæneus l. 10. c. 7. *specialia temperantiæ media regulasq́ ex Senecâ, patribus alÿsq́ excerptas V. ap.* Jonstonū l. 3. ench. Eth. c. 2. m. 1.

7. *Ex* objectis *dicitur*, circa voluptates gustus & tactus. *Objectum Temperantiæ* est primarium *& præcedens*, & secundarium *ac consequens.* Primarium, *circa quod principaliter & per se temperantia versatur. Et est voluptas gustus & tactus, ejusq́ amor, desiderium & oblectatio. Voluptas hic non sumitur generalissimè, ut abstrahit à voluptate corpo-*

ris

ris & animi, spirituali & corporali, honestâ & inhonestâ, quomodo Dec. 2. d. 6. *de illâ actum: Nec specialissimè, quomodo consequens aliquod summi boni moralis in Ethicis est, jucunditas quædam perfectā operationem Virtutis subsequens, &* d. 1. t. 24. *est tacta: Nec generaliter, quomodo voluptatem physicam & corpoream in genere & secundum omnes 5. sensus exteriores spectatam comprehendit: Sic enim aliqua honesta esse potest, ut voluptas ex suavi Musicæ auditu, venustâ picturâ, suavi odore & fragrantiâ percepta: Nec ex hac solitariè &* per se *aliquis dicetur intemperans, si nimius in eâ sit, Vt si suavem Musicam nimis audiat, elegantem picturam nimis adspiciat, gratum suffitum nimis olfaciat: Sed* per accidens *& secundariò tantùm, ut si nimium auditum, visum, & odoratum ad illicium gustus tactusq; accommodet, venustam picturam inspiciat, ut libidinib. turgescat, odorem vini exploret, ut ingluviem exsaturet; ut* d. 6. dec. 2. t. 18. *dictum: Sed* partialiter & secundum sensum tactus & gustus: Tactus *primariò, quatenus in eo materialis objecti est perceptio & accommodatio, ut in Venere:* gustus *secundariò, quatenus & in illo materialis & solida alimenti est absumptio, quæ ingluvies dicitur, non quà nuda saporis in gustu est discretio: Vt si quis pitissando saporem vini discernat, interim reali ejus corpulentiâ & copiâ ad ebrietatem usq; se non ingurgitet, non dicetur intemperans. Sed ab ingluvie & materiali cibi aut potus absumptione intemperans quis dicitur, quomodo Philoxenus guttur gruis sibi exoptabat, ut voluptatem ingesti cibi & potus diutius persentiret, ap:* Aristot: 3. Nicom. c. 13. *& gustum tactum quendam esse* l. de sensu c. 2. *dicitur. Ita ratione tactus est intemperantia.*

8. *Sed hoc iterùm* non ratione corporis totius *& singulorum membrorum, quibus tactus competit; nam ita in mul-*

multis membris voluptas aliqua exerceri potest, ut inde non fiat moralis vitiositas, nec inde moraliter intemperantes dicamur. Ita frictiones membrorum, scapularum, lacertorum, crurum in balneis esse possunt, sanitatis, munditiei, roboris gratiâ, ut inde intemperans nemo dicatur. Ita inter 6. res non naturales Medici corporis frictionem referunt. Sic in palæstrâ membra perfricari possunt ad agilitatem & firmitatem conciliandam, nullo metu intemperantiæ: Sed partialiter *& ratione certorum membrorum, Oris quà cibum & potum, & pudendorum, quâ Veneriam impuritatem: Quà istis membris voluptatem adhibemus non cum modo & medio, quomodo naturaliter & sine vitio appeti potest necessarius cibus, potus, & in competente ætate licita Venus: Sed* sine modo & medio *rectæ rationis, quâ vel voluptas in objecto illicito quæritur: vel in licito modo illicito. Hæc voluptas ratione oris & pudendorum specialiter facit intemperantiam. In* objecto illicito, *cum appetuntur ea, quæ fas non est per prudentem rationem appetere. Sic adulteri uxores aliorum appetunt. Semiramis filij concubitum appetijt.* Justin. l. 1. *Phædra Hippolyti priuigni.* Senec. in Hippol. *Antiochus Stratonices novercæ amore exarsit.* V. Coroll. dec. 1. d. 5. *Idem in Sodomitis & pæderastis contingit. In* objecto licito modo illicito, *cum modus & circumstantiæ non, prout à rectâ ratione præscribuntur, observantur. Sic cum plus cibi aut potus assumitur, quàm ad pellendam famem & sitim satis est. Sic cum Promachus nimium vinum bibit, ut coronam talenti obtineret: Cum quis uxore propriâ ad lasciviam & libidinem abutitur, quod ex sententiâ* Xysti *cujusdam Pythagorici* Hieronymus l. 1. c. Jovin. c. 5. *adulterium vocat. Adulter ait, est in suam uxorem amator ardentior. Et* Ambrosius l. d. Philos. *Vxoris adulterum appellat, qui in usu conjugali honestatis nullam*

nullam rationem habet. Sed abusus *est vocis adulterij. Vt in bono proprio furtum non est: Sic nec in carne propriâ licitavè adulterium. Lascivia & impudentia est, non adulterium. Ita cum quis Venerem licitam tristitiæ publicæ, jejunij & pœnitentiæ tempore exercet, quo indecorum est. Sic vetuit DEus tempore sanciendi decalogi mulieribus suescere.* Exod. 19. v. 15. *Apud Veteres tempore sacrificij 9. dies noctesq́ sacerdotes mulieres æditus ab omni libidine abstinere oportebat* Camerar. C. 1. c. 1. *Romani civem in carcerem truserunt, quòd tempore belli publici coronatus ex fenestrâ prospexisset. Claudius epulis intererat in æde Martis, quæ pro Salijs Martis sacerdotibus paratæ erant, nec locus, nec tempus Cæsari conveniens erat.* Suet. in Claud. §. 33. Cur *tactus & gustus voluptates intemperantem faciant, visus & auditus non item, causa dicta est* dec. 2. d. 6. t. 18. *Et* quî voluptas, *res in se bona licitaq́, ac à Deo naturaq́, ordinariâ ejus dispositione, indita, à quibus nil nisi bonum, ita depravari queat, ut ex licitâ fiat illicita, ex honestâ turpis, ex gratâ abominabilis rectæ rationi, hic quæri possit?* Non *additione & accretione id fit, bonum enim in se sui cremento essentiâ propriâ non defraudatur.* Scalig. ex: 299. *Sed detorsione & vitiatione. Vitiatur voluptas, cum inhonesta fit, non aggregatur: depravatur ab aversionibus naturæ non proprijs, sed æquivocis. Ad objectum illicitum extensa, modo illicito occupata, alio fine rapta, priorem amittit formam, acquirit alienam, fitq́ inhonesta.* Conf. c. l.

9. Objectum *temperantiæ* secundarium *& consequens est, circa quod per accidens & consequenter temperantia occupatur. Estq́* dolor *ex privatione voluptatis appetitæ exurgens. Vnde in definitione temperantia medium servare dicitur circa voluptates* utendo & carendo. *Dolor hic non*

notat dolorem physicum, acerbitatem sensionis externæ; aut cladem & tribulationem, quæ interdum dolor dicitur, ut dec. 2. d. 5. t. 3. *dictum: quæ moderatè ferre docet fortitudo,* V. t. 23. *sed moraliter tristitiam & ægritudinem aliquam, quâ molestè carentiam absentis voluptatis ferimus, & præsentiã ejus expetimus. Circa hunc temperantia versatur indirectè & per accidens. Nam cum voluptatum appetitum temperare debeat, consequenter & tristitiam de absentiâ illarum conceptam temperabit, ut compositè absentiam feramus, nec ultra fas ac modum præsentiam desideremus. Quomodo sufficientia & præsentes opes moderatè desiderare docet. Ita dolores absentium voluptatum temperabit temperantia, vel* totaliter *contemnendo, vel moderatè desiderando.* V. t. 6. *Sic essentia temperantiæ ex genere & differentiâ excussa est. Quam variè aliàs circumscribunt.* Cicero 2. d. inu: §. 38. firmam & moderatam *in libidinem & pravos animi motus dominationem dicit, & sub eâ continentiam, clementiam, modestiam, comprehendit. Sed hæc latior definito definitio est, & species heterogeneas subsumit, clementiam & modestiam, quæ aliæ â temperantiâ virtutis species sunt.* Zeno *dispositionem insuperabilem eorum, quæ sunt rectæ rationis, dixit. Sed genus & differentia hic claudicant. Virtutes non sunt dispositiones, quod semivirtutib: competit: sed habitus dispositione & actibus frequentibus acquisiti, & complementum jam nacti. Nec differentia solius temperantiæ in eo est, facere quæ sunt rectæ rationis: sed commune formale hoc omnium virtutum moralium est, quæ mediocritatem rectæ prudentisq́; rationis servant.* V. d. 3. t. 14. Jonstonus loco t. 3. *citato virtutem nos respicientem concupiscentias vel affectus moderantem definit. Sed & hæc differentia laxissima est, & species â temperantiâ alienas immiscet, Vt* t. 3. *patet. Quædam etiam pro speciebus virtu-*

tis habet, quæ veriùs principia temperantiæ & virtutum sunt, quàm species. Ut autophilia seu moderatus amor sui, quam & Alstedius inter virtutes refert. Sy. Eth. 1. c. 5. & Timpler. l. 2. Eth. c. 2. q. 2. *Sed amor sui propriè principium aliquod remotum temperantiæ & alius virtutis est, quo ad habitus morales exercendos homo inducitur, pertinetq́; ad naturam hominis, de quâ* d. 3. t. 15. *inter principia virtutis monitum. Ex moderato sui amore cultuq́; oritur, quòd homo se virtute dignum judicet, adeoq́; ad exercendam illam se accingat. Seipsum enim maximè quis per naturam amat.* Arist. 2. Polit. c. 5. *& proximus egomet mihi dicitur: ac ordinatam caritatem incipere à seipsâ ajunt. Cato maximè hominem seipsum revereri oportere dicebat, quòd nullus unquam à seipso discedat.* Erasmus l. 5. apopht: in Catone sen. §. 9. *Huc Ethnicorum* γνῶθι σεαυτὸν *pertinet, &* Augustini *illud: Qui sibi malignus est, cui bonus erit? Ita qui in seipsum est parcus, sordidus, avarus, magis in alium talis erit. Sic amor proximi rigidè loquendo non est virtus moralis, sed vel ejus fructus, & ad amicitiam pertinet: vel principium, & facit, ut variæ virtutes ipsi à nobis exhibeantur.*

10. *Fuit* definitio *Temperantiæ: sequitur* divisio. *Temperantia ex speciebus & objectis* vel est frugalitas vel castitas. Frugalitas est temperantia moderans gulam & alimentum. *Estq́;* abstinentia & Sobrietas. Abstinentia, *quæ alimentum cibi moderatur & quà quantitatem & quà qualitatem.* Quantitatem, *ut justo numero & mensurâ assumatur, non ultrà. Mensura hæc citra variationem determinari nequit, sed ad diversitatem subjectorum ex prudentiâ rationis determinanda est. Milo bovem devoravit pro necessitate temperamenti, indè non intemperans dicitur. Alius infirmioris complexionis id agens omninò mensuram transcenderet,*

ret, & intemperans in edendo esset. Papistæ ad abstinentiam numerum unius comestionis per diem requirunt, idq́; jejunium vocant, ut apud Thomam sec. 2. q. 147. a. 6. Valentiam T. 3. d. 9. q. 2. p. 3. Bellarminum l. 2. d. bon. op. c. 1. 2. Lessiū l. 4. d. just. & ju. c. 2. n. 9. Becanum, Costerum, Coronū, Andradium, *aliosq́; videri potest. Sed nec hoc præcisè præscribi potest, cum temperamenta sint varia: & ille etiam abstinens sit, qui bis per diem comedit, sed pauca. Nec* numero comestionum, sed moderatione ciborum *abstinentia definienda. Illud etiam audacius, quòd cibo semel per diem capto jejunij nomen imponant; cum in sacris jejunium totalis abstinentia à cibo sit: & cum dicitur, jejunasse usq́; ad vesperam, ut* Judic. 20. v. 26. 2. Sam. 1. v. 12. c. 3. v. 35. *terminus jejunij notetur, durasse nempe jejunium per diem usq́; ad vesperam, per quod tempus nihil cibi assumpserunt: non autem cibo post vesperam assumpto etiam jejunium durasse indicatur. Nec ex sacris locus producetur, quo cibus semel per diem sumptus nomen jejunij mereatur. De quo pluribus* D. Meisn. p. 3. P. S. s. 1. c. 5. q. 1. D. Brochmandum L. C. d. jejun. c. 2. q. 2. 3. Chamierum T. 3. panst. l. 19. c. 2. Vorstium in T. 4. Bell. l. 2. th. 1. 2. *aliosquè videas.* Qualitatem, *ut non curiosè delicatus cibus quæratur solius delectationis & gulæ gratiâ, nam & ita intemperantia committitur, & lurcosi Apitij fiunt, qui suaviora sectantur solius suavitatis gratiâ.* An & *humanæ carnes ultimâ necessitate in usum dapum venire possint, hic quæri solet? Id* ap. D. Meisnerum c. l. q. 3. *videas.* Opposita *ejus sunt &* excessus, *ut Voracitas, cum nimium cibi in numero, qualitate, i. e. nimiâ curiositate, & nimis delicatus, quàm statui convenit, sumendi modo, i. e nimis festinanter & rapaciter sumitur. Tales* Plautus *tuburcinari vocat, grandes bolos properanter ingerere, nec mandere, sed mox glutire: Item cum circumstantijs intem-*

tem-

tempestivis, sæpius, quàm oportet, loco non congruente, personis non decentibus, sumitur. Exempla eorum à polyantheis & Authoribus c. 6. *citatis hauries:* Et defectus *qui* vel *affectata corporis maceratio, quæ rarò occurrit:* vel *jejunium, totalis ciborum abstinentia, & neglectus cibi, non delectus, in quo iterum jejunium locant Papistæ: Vt si carnibus, ovis, lacte, abstineant, interim delicatis piscibus, bellarijs, tragematis, fructibus, vino generosissimo ad saturitatem se distendant.* V. authores *ante citatos. Quod merè hypocriticum, & nunquam in sacris jejunium vocatum est, de quo Authores allegatos consule. Locus in speciem* Dan. 10. v. 2. 3. *alienus hic est. Lugere suum ibi describit, non jejunare: & vino abstinuisse legitur, à quo non in suo jejunio Papistæ.*

II. Sobrietas est temperantia, quæ alimentum potus moderatur quantitate & qualitate. Quantitate, *ne nimium, quàm par est, potus sumatur.* Qualitate, *ne nimis delicatus eligatur voluptatis & gulæ gratiâ. Magna hujus effecta in homine sunt ratione & animi, quem vegetum servat: & corporis, cujus robur & sanitatem confirmat. Et ita vitam prolongat, eamq; verè humanam facit. De quo Polyantheas &* Velstenium d. 6. Eth. q. 10. *consule. Opposita ejus sunt excessus & defectus.* Excessus, *ut* ebrietas *sive* ebriositas, *consuetudo frequenter se inebriandi, quæ* & quantitate *ac numero committi potest, cum plus bibitur, quam necesse est, quomodo Sybaritæ, Græci & Germani vitio temulentiæ famosi sunt, secundum illud cujusdam: Vt nos (Germanos) dulce merum, sic Vos (Italos) Venus improba vexat. Itemq; Poëtæ, secundum illud* Horatij l. 1. Epi. 19. *Non cessavêre Poëtæ nocturno certare mero, putere diurno:* & qualitate *ac bibendi modo, cum nimis cupidè, celeriter, raptim, delicatâ affectatione, confestim, ore patente, loco & tempori incompetente, potus ingurgitatur:*

Et substantiâ, *cùm potus preciosior appetitur, ac nostro statui convenit:* Et intentione, *cum ob solam gulæ oblectationem bibitur. Extra hæc poculum necessitatis, salubritatis, quod Paulus præscribit,* 1. Timoth. 5. v. 23. *Vbi quidam* ὀλίγον οἶνον *non de quantitate, sed qualitate vini accipiunt, ut vinum dilutum & moderatum, non meracum & temetum intelligatur.* V. Ernstiũ l. 2. observ. c. 4. *Et hilaritatis concessum est.* Ps. 104. v. 15. Syrac. 31. v. 32. seq. *Ita Joseph cum fratribus.* Gen. 43. v. 34. Quidam *etiam ebrietatis licitum esse putant, ut relaxetur animus, cietatur vomitus, relevetur ab noxiis cruditatibus stomachus, & ita sanitas servetur. Vnde* Hippocrates *semel in mense inebriari ad ciendum vomitum concessit.* V. Salernitan. d cons. val. c. 15. Avicennam quarta 1. c. 13. *Etiam* Rhasis *esse dicitur* ap. P. Messiam l. 3. Mem. c. 17. *Sed non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Aliјs mediis vomitus cieri potest. Et tot cruditates ex ebrietate relinqui in corpore possunt, quot per vomitum egeri.* Quidam *litteras feliciùs ab ebrijs, quàm sobrijs, tractari putant. Hoc est luscos meliùs videre dicere, quàm rectè videntes.* V. Gutk. d. 6. Eth. q. 1. Effecta *ejus admodùm sunt noxia cùm ratione corporis, tùm animi, ut stupor, oblivio, temeritas, litigandi cupiditas, Secretorum reclusio, faciei deformatio, linguæ titubatio, membrorum omnium labefactatio, libidinis irritatio, & similia, quæ pluribus apud Patres & Polyantheæ scriptores videas:* partim defectus, *ut nimia potus abjectio, vitium, quod rarum inter homines est: Quo Encratitæ, Severiani & Eremitæ quandoq; laborârunt, ut vel vinum tanquam malum rejecerint, vel potum nimio modo aversati fuerint. Ita & Mago Cartaginensis, Lasyrta Lasionensis, Andro Argensis, Julius Viator Romanus sine potu vixerunt, etiam salsis utentes edulijs.* Moreau in Salernit: c. 15. Utrum vitium deterius *sit, ebrietas, an vo-*

racitas, quæritur? R. Ebrietas, *quia plurium vitiorum in animo, & morborum in corpore causa est. Unde in Theatro Diabolorum præses Ebrietatis agmen ducit inter Diabolos, & mediante illâ contemptum Dei, sui, & proximi, in hominem inducit. Unde quidam ebrietatem non tàm peccatum speciale contra unum præceptum, quàm totius legis violationem generalem faciunt.* Ames. l. 3. cas. cons. c. 16. n. 6. *Quanquam voracitas citiùs morbos mortemq́ inferre queat, ob crassitiem ciborum, siccitatem, & difficiliorem inde concoctionem: plures tamen & nocentiores inducit ebriositas, tandemq́ spiritum vitalem extinguit, & hominem interimit.* An & intemperantia *deterior timiditate, hic quæri solet? Id disceptantem & pro affirmante concludentem* V. Philosoph. 3. Nicom. c. 15. Strauchium C. 1. qu. Eth. dec. 9. q. 1.

12. Castitas est temperantia *moderans appetitum Venerium s. generativum. Dicitur etiam pudicitia, Verecundia, puritas. Estq́* vel virginalis *sivè coelebs, quæ in homine nondum conjugato exercetur, ut Josephi.* Gen. 39. *Hac si libera sit, ejus qui donum continentiæ habet, se satis probare possit, & legitimo fine exerceatur, citra contemptum castitatis conjugalis, probanda est: Improbanda, si coacta sit, aut in ætate imprudente perpetuò promissa & votis astricta, aut illis imposita, qui dono continentiæ carent, nec satis se probare queunt, alieno fine meriti aut peculiaris cultus divini, & cum contemptu conjugij exerceatur, ut cœlibatus Papistarum solet. De hoc latè* D. Gerhard. T. 7. §. 490. seq. *vide. Iudæi quidam & gentiles cælibatum in totum damnârunt. Sed contra scripturã,* Matth. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 26. V. Gerh. c. l. Vel conjugalis, *quæ in conjugio servat ordinem â Deo institutum, ut Susanna, Penelope, &c. Huic quidam hæretici Veteres, Pontificij, & nonnulli Patrum, nimij virginitatis admiratores, iniquiores interdum sunt, ut*

ex variis emblematibus statui conjugali infixis patet, & ap. D. Gerh. c. l. §. 27. 51. 52. 433. & T. 6. d. minist. §. 347. *videri possunt:* vel vidualis, *quæ post conjugium munditiem animi servat, cujus exemplum est in turture. Divisio illa* non est generis in species, *sed accidentis in subjecta. Non est alia specifica essentia castitatis in conjugio, alia in viduitate, alia in coelibatu, sed eadem: Nam eadem mediocritas prudentiæ, eadem caritas in omnibus est: sed* à diverso statu eorum, *qui colunt eam, diversè nominatur; alia conjugalis, alia cælebs, &c. quia quidam in conjugio, alij extra illud castè viuunt. Quomodo honorem alium consularem, alium Senatoriū dicere possemus. Castitatis radix consistit in corde, fructus in gestu, verbo, & opere. Nemo n. pudicitiam servat in corpore, nisi Spiritui prius insitâ castitate. Vt* August. d. Virg. c. 8. *ait. Nec ulla custodia satis est firma, nisi animus sit castus.* V. Camerar. C. 2. c. 41. *Optimum castitatis medium, primum amoris impetum repellere. Verè* Seneca: Quisquis in primo obstitit repulitque amorem, *tutus ac victor fuit: qui blandiendo dulce nutrivit malum, serò recusat ferre, quod subijt, malum.* Hippoly. a. 1. s. 2. *Exemplum ejus egregium est Nicetas, juvenis Aegyptius, de quo ex* Hieronymo Drexelium in Nicetâ l. 1. c. 1. 2. *consule.* Opposita *ejus sunt defectus & excessus.* Defectus, ἀναισθησία *& stupor, vel nimius Veneris omnis contemptus, cum nec necessaria corpori Venus admittitur. Talis in Michaële Verduit, de quo versus:* Sola Venus lento poterat succurrere morbo: *Quàm se pollueret, maluit ille mori. Et in Casimire Regis Poloniæ Filio, qui mori maluit, quàm fœminæ admisceri, etsi Medici id suaderent, ut ex* Cromero *narrat* Bellarm. l. 2. d. Mona. c. 32. *Item in* alijs, *qui matrimonia contraxerunt cum fœminis, sed nunquam illis conjugialiter sociati sunt, Vt Henricus I. Imp. cum Cunegundâ uxore, Boleslaus*

laus R. Poloniæ, Emmericus Hungariæ, Eduardus II. Angliæ ap. D. Höpfnerum in Sax. Euang. f. 3. p. 2. c. 6. *Alfonsus Castus Hispaniæ R. ap.* Apolepht. p. 1. erquick. p. 570. *Guido Vbaldus Vrbini Dux nunquam fœminam cognoscere potuit, & cum conjuge abstinenter vixit.* Melander T. 1. jocos. c. 340. *Huc pertinet & odiosa mulierum vituperatio, Vt cum* Diogenes *omnes mulieres ab arboribus suspensas optabat: &* Euripides *in canticis suis passim illas exagitabat: Cui tamen â quodam objectum, quòd odisset mulieres in choro, amaret in thoro, ap.* Muretum l. 8. V. L. c. 21. *Etiam violenta conjugy prohibitio huc referenda, de quâ Paulus* 1. Tim. 4. v. 3. *& violenta membrorum castratio, quâ corpori vis infertur, ut ad Venerem quis sit inhabilis. Sic Origenes virilia sibi amputavit.* Eusebius l. 6. c. 8. *Alius Monachus Dusseldorpÿ idem sibi fieri præcepit.* Wier9 l. 3. d. præ. dæm. c. 18. *Sacerdotes Cybeles genitalia sibi abscindebant, ut casti viverent. Apud Athenienses quidam cicutam bibebant, ut vim genitalem amitterent.* Camer. C. 1. c. 1. *Leo I. Papa manum sibi ultrò abscidit, quam mulier osculata fuerat, ne libidinibus ardesceret,* Lansius. or. con. Italiam.

13. Excessus *est salacitas & libido, nimia in Venerem intemperantia. Hæc* vel interna *est, ut libidinosa cogitatio,* Matth. 5. v. 27. *& pravi affectus incensio, cum quis internis libidinis incendiis ardescit. Hæc moraliter radices sunt externarum libidinum. Et moraliter impudicus est, qui impudicis cogitatis & ignibus intùs exuritur. Sine his libido involuntariè illata moraliter non vitiat, ut cum puella vi ab aliquo stupratur.* V. Deuter. 22. v. 25. *Hic valet illud:* Mens impudicam facere, non casus, solet. Seneca in Hippol. a. 2. sc. 3. *Cum seminis profluvio prorsùs involuntario citra delectationem vel antecedentem, vel comitantem, vel consequentem, aliquis*

quis afficitur. Si delectatio accedat, vitiosus moraliter fit. Ita Onan percussus. Gen. 38. *& ceremonialiter immundus seminifluus judicatur, quia vix sine delectatione fuit.* Leu. 15. v. 16. Vel externa, *cujus actus externè in sensus incurrit. Estq́ vel* verbalis, *quæ spurco sermone exeritur, quæ Oscis Campaniæ in Italiâ olim populis usitata fuit; Vnde Oscè loqui pro obscœnè loqui dicitur: Item scurris, qui ex ore, ut dicitur, faciunt podicem, contra* Ephes. 5. v. 3. Vel realis, *quæ externo aliquo impudico opere profertur, ut gestu vel concubitu.* Gestu, *ut oculi, manus, corporis, pedis, motitatione ad lasciviam compositâ. Vt osculo, amplexu, tactu, choreis lascivis &c.* Absolutè & in se *gestus est indifferens, potestq́ signum esse benevolentiæ, pacis, gaudij, obsequij. Ita Orientalibus oscula sunt usitata: determinatè ratione finis & intentionis lascivæ moraliter fit vitiosus. Conf.* Syrac. 26. v. 12. *Ita choreæ lascivæ & libidinum irritatrices in Repub. non sunt ferendæ: sed rectè de illis* Chrysostomus: Esse ductus, quarum centrum sit Diabolus: *Et mistæ, quæ sexu commisto fiunt, potiùs omittendæ, quàm fervidè exercendæ sunt, ut rectè de illis judicat* D. Brochmandus L. C. d. leg. c. 12. q. 15. *Per se indifferens est chorea,* V. Eccles. 3. v. 4. *Per accidens illicita fieri potest. De toto hoc argumento plura te* D. Meisnerus p. 1. Ph. S. s. 2. c. 4. q. 2. & d. 12. adiaph: D. Gerhard. d. conju. §. 471. D. Brochm. c. l. Alstedius c. 19. cas. Cons. §. 3. Amesius l. 5. Cas. Co. c. 39. & 23. Joh. à Munster tr. vom ungottseligen Tantz/ *aliiq́ edoceant. Varias saltationum species enarrantem* V. Zuingerum, vol. 17. l. 4. p. 2511. Concubitu, *quando cum objecto illicito, aut modo illicito, concumbitur.* Objecto illicito, vel *cum Dæmone succubi aut incubi formam ad tempus sumente, ut de sagis & magis fertur, de quo plura in Pneumaticis tradi solent. Hoc scelus maximè horrendum & à naturâ humanâ alienum*

lienum esse debet: Vel *cum bestiâ, quæ bestialitas dicitur, quâ homo se infra pecudes abijcit. Hoc etiam maximè contra naturam & legem.* Exod.22.v.19.Lev. 20.v.15.18. *Hæc apud Hibernos olim usitata, unde fons Ernus in lacum effusus totum tractum circumjacentem inundatione submersit.* Camerar. C.1. c. 81. Vel *cum homine: & hoc* vel *sexus ejusdem, unde Sodomia, pæderastia, quæ contra legem,* Lev.18. v. 22. *Et gentibus quibusdam usitata fuit.* V. Camerar. C. 2. c. 41.42. Lansium or: con: Italiam: & Joh: Casæ *publico carmine sceleratè laudata est:* Vel *sexus diversi, ut maris cum fœminâ. Hoc* vel *cum consanguineo fit, & dicitur incestus: sic Loth cum filiabus, Amnon cum Thamare concubuit. Vetatur* Lev. 18. v.6.7. *seq: Apud Nauras parentibus cum filijs stupro coire usitatum.* Curt. l. 8. c. 2. vel *cum extraneo, eoq́;* vel *conjugato, & dicitur adulterium, quod vel simplex est, cum ab unâ parte committentis conjugium violatur, Vt Messalina Claudij uxor.* Juvenal. sa. 6. *vel duplex, cum ab utraq́; parte, ut* David. 2. Sam. 11. *Vtrumq́; est capitale de lege divinâ,* Lev. 20. v. 10. vel *soluto, eoq́;* vel *virgine aut viduâ, & dicitur stuprum, quod apud Babylonios usitatum valdè erat.* Curt. l. 5. c. 1. vel *meretrice, & specialiter dicitur scortatio, ut in lupanaribus exerceri solet. Hæc apud gentiles usitata, ut vix in vitij rationem venerit.* Terent. Adelp: a.1. sc. 2. *Vnde* Act. 15. v. 20. *conjungitur esui sanguinis & idololythi, opinione gentilium, quæ tum vigebat, quia indifferens habebatur. Et copulant eam Apostoli, non æquiparant. Sed in ordinatâ Rep. penitùs non sunt ferenda lupanaria, ut ampliùs in Politicis disputatur.* V. Deut. 23. v. 17.18. *Exempla libidinosorum ap.* Zuinger. Vol. 7. l. 3. *vide. Horatius ad res Venerias intemperantior creditur, & speculato cubiculo scorta disposita habuit, ut quocunq́; respexerit, coitus imago ei repræsentaretur.* Sueton. in vit. ejus. Mo-

 do

do illicito *concumbitur, cum reverentia & decor conjugis debitus non servatur. Vt cum mas succumbit, fœmina supergreditur: Aut aliàs præposterè & lascivè concubitus exercetur. Ita cum loco & tempore indebito, ante copulationem publicam, cum menstruatâ, quod capitaliter interdictum in lege* Lev. 20. v. 18. *congressus fit, de quibus Casistæ consulantur. Remedia libidinum & antidota ap.* Drexel. l. 2. Nicet. c. 3. 4. *seq: vide, quæ hoc versu comprehendit:* Lectio, flagra, preces, confessio, lympha, labores, Portarum excubiæ, Christi præsentia, pœnæ.

14. *Hactenus* divisio *temperantiæ:* subjectum *ejus est* vel *inhæsionis, quod vel ultimatum & denominationis est, estq; homo temperans:* vel *mediatum & informationis, estq; appetitus hominis sensitivus cognoscibilis & concupiscibilis.* Cognoscibilis, *quia appetitus sensitivus, ut substat rationi & regimini prudentiæ, est subjectum virtutis moralis, non ut brutus & rationis expers est. Vnde & in brutis veræ virtutes morales non sunt.* d. 2. t. 5. d. 3. t. 16. Concupiscibilis, *quia temperantia appetitum edomat, ut voluptates gustus tactusquè modicè appetat.* t. 7. *sicut fortitudo appetitum irascibilem ejusquè motiones, ut pavorem, audaciam, temeritatem:* Vel tractationis *& occupationis, circa quod tanquam objectum occupatur, de quo* t. 7. *actum.*

15. *Ita* absolutè *temperantia spectata:* Respectivè *cum cognatis & oppositis spectatur.* Cognata *ejus omnes continentiæ sunt, quâ quis voluptatibus abstinet, etsi remissè & cum luctâ, ut interdum etiam succumbat. Vnde inter semivirtutes est cōtinentia.* V. d. 9. t. 13. Opposita *ejus sunt partim* excessus, *ut intemperantia, vitium morale modum in appetendis voluptatibus gustus & tactus specialibus excedens. Hoc per species* t. 10. 11. *seq. visum: partim* defectus *stupor, insensatio & natura*

turæ quadam aut sensus communis dedolentia, quâ ne licitæ quidem voluptates gustus aut tactus appetuntur, Cui vicini fuerunt Stoici, affectus non domandos, sed eradicandos esse dicentes. V. Hornejum 2. Eth. c. 6. n. 8. Plateanum l. 2. Et. Chr. c. 15. *Species ejus* t. 10. 12. *visæ.*

16. *Fuit considerata* Temperantia: *Sequitur virtus moderans appetitum irascibilem circa terribilia occupatum, quæ est* fortitudo. *Ordinis in eâ ratio ex* th. 3. *patet. Consideratio ejus nominalis & realis est. Nominalis* 1. In homonymiâ, *quâ sumitur interdum pro robore corporis, Vt in illo: Leo fortis est, & occiditur: Tigris fortis est, & occiditur. Sic equi fortissimi in prælio dicuntur.* V. Vallesium c. 55. sac. Phil. *Ita Milo fortis dicitur, qui arborem fissam distendere potuit. Interdum in sacris pro efficaciâ Dei, in quâ pÿ confidunt.* Exod. 15. v. 3. 2. Sam: 27. v. 2·19. *Interdum pro viris fortibus,* Esai. 3. v. 25. *Interdum pro gloriâ fortitudinis.* Ps. 29. v. 1. Ps. 96. v. 7. *Interdum pro operibus & factis fortibus.* 1. Reg. 22. v. 46. *Interdum pro confidentiâ animi, quâ adversa aut terribilia tolerantur. Sic* vel *pro apparente fortitudine sumitur, qualis in hypocritis est, aliÿsq;, qui alio, quàm honestatis fine fortiter agunt, qualis est fortitudo* Politica *& civilis, quà vel spe præmÿ & honoris, vel pœnæ formidine fortiter agitur. Vt cum cives fortiter se defendunt, quia fugientes infamiâ notantur, ut apud Lacedæmonios; alia ejus exempla Aristoteles in Diomede & Hectore ex Homero profert* 3. Nicom. c. 11. *Vel* coacta, *cum fortiter agitur, quia effugere non datur. Sic Agathocles naves concremabat, ne in Siciliam miles reverti posset: Vel* experimentalis, *cum pericula adeuntur confidentiâ peritiæ & experientiæ, quam quis de periculis habet, ut in athletis & militibus veteranis est: Vel* iracunda, *cum quis irâ & vindictæ amore stimulatus periculosa adit, qui pugnax*

potiùs quam fortis est. Quomodo & bestiæ interdum audent. V. Scalig. ex: 209. s. 2. *Vel* fiduciaria, *cum auxiliorum & victoriarum obtentarum fiduciâ pericula subeuntur. Vt cum scimus sæpè nos vicisse: copiâ, armis, socijs, corporis robore, membrorum stupefactione, alijsq; medijs hoste superiores esse: Vel* stolida *& inexperta, cum ex ignorantiâ periculi ardua subeuntur. Sic dulce bellum inexpertis dicitur. Parum in adversis hæc durare solet. Et temeritas ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet.* Curt. l. 4. c. 14. Vel pro verâ *& reali fortitudine, quæ verè mediocritatem à prudenti ratione præscriptam servat in formidabilibus honestatis gratiâ. Ita hìc sumitur.* 2. In Etymologiâ, *quæ Logica nulla: Grammatica à forti, & hoc à ferendo, quòd fortis proprium sit, adversa æquè ferre, & hoc à Græco* φέρειν. 3. In Synonymiâ, *quâ dicitur etiam animositas, virilitas, Interdum virtus in genere, ut* d. 3. t. 2. *notatū: periphrasticè habitus formidinem expellens: Græcis* ἀνδρεία *ab* ἀνδρὸς, *quòd maximè Virum decens sit. Vnde* Philo *in* l. de Abraham *virtutem masculino genere dicendam fuisse ait,* τὸν ἀρετὴν, *non fœmineo,* τὴν ἀρετὴν, *quia mascula res sit, & â Marte,* ἄρεως, *dicta, non muliere. Et inter animam probi & virtutem velut conjugium sit, ubi virtus fœminino nomine dicta Viri & Patris officia exequatur, anima mulieris & matris, & se â virtute regi patiatur. Quod exprimens Poëta:* Est mascula certè, Fœmineo velata licet sit nomine, Virtus. Garassus in sacr. Rhemen. p. 5. *Hebræis* גְּבוּרָה, *â* גָּבַר, עֹגֶז, *ab* עָזַז *roborare, &c. Germanis* Tapfferkeit / Manheit / Mänligkeit / Manhafftigkeit / unverzagheit / Mutigkeit *&c.*

17. *Realis fortitudinis consideratio* & absoluta *erit in definitione, causis, subjectis, & divisionibus:* & respectiva *in cognatis & oppositis.*

18. De-

18. Definitio *sit:* Fortitudo est virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ servans in formidabilibus, honestatis & publicæ utilitatis gratiâ.

19. *Ex* genere *dicitur virtus moralis directa. Quæ verba ex* d. 3. t. 17. *patent. Ex* differentiâ *dicitur mediocritatem prudentiæ in formidabilibus honestatis & publicæ utilitatis gratiâ servans. Hoc* & à *modo versandi in fortitudine* & *objecto*, & *fine ejus sumitur.* A modo versandi *dicitur mediocritatem prudentiæ servans. Mediocritas prudentiæ est perfectio moralis inter extrema, excessum & defectum, prudenter procedens. Ita fortitudo perfectionem hanc moralem servabit, & Stoicum stuporem, & immoderatum timorem excutiendo; Animumq́ masculè disponendo* & *in aggrediendo*, & *progrediendo*, & *desistendo. Fortis* & *alacriter aggreditur*, & *perseveranter progreditur*, & *feliciter egreditur.* Aggrediendo, *ut formidabilia aggrediatur Vir fortis confidenter & prudenter.* Confidenter, *ut animo erecto & alacri sit, & bonarum rerum spe ac expectatione se sustentet.* Prudenter, *ut partim finem, partim media ad finem, partim objectum circa quod versandum, destinato consilio meditetur & eligat.* Finem, *ut is sit honestus & publicè utilis. Nam finis mediis amabilitatem & appetitum conciliat. Ita ardua, adversa, & periculosa, etsi forti, ut homo est, sint molesta, non enim truncus, sed animal est: Vt tamen finem, honestatem & publicam utilitatem intendit, ei fiunt suavia, & sic subit, perfert, & vincit illa, inq́ ipso dolore exsurgit animosior, ut aurum ex igni prodit luculentius. Aliàs pericula adire, mortem & vulnera oppetere non debet Vir fortis cujuscunq́ gratiâ, sed honestatis & publicæ utilitatis causâ. Extra illos fines vitam non prodigere, sed retinere debet. Tenetur n. se servare patriæ & publico usui, non eripere. Hinc illud: Fortis nec temerè se peri-*

periculis objicit, nec animum in illis abjicit. Sic Demonax *aquam ferventem refugiens & ob id meticulosus dictus, quid, respondit, an hoc pro patriâ passurus essem?* Erasm.l.8. apoph. *Notans, temeritatis esse, pericula ob causam non gravem & honestam subire. Idem Chilon monuit ap. eundem* l. 2. §. 29. in Chilone. *Fortium n. virorum est,* magis mortem contemnere, quàm vitam odisse. Curt. l. 5. c. 9. *Sic Varroni post cladem Cannensem gratiæ actæ, quòd vitæ consuluisset, sequè Reipublicæ servasset: cum Collega ejus L. Paulus fugere abnuens, in saxo vulneratus persedisset, donec ab hoste confoderetur.* Livius l. 22. c. 61. 49. *Sic inter Ajacem & Vlyssem cum contentio esset de armis Achillis, Vlyssi ea sunt adjudicata, quòd Ajax pugnax quidem esset, sed Vlysses præterea prudens, adeoq; verè fortis.* Cocin9 præfat. Hermogenis. Ovid. 13. Metam.

20. Media, *ut illa ad honestatem & publicam utilitatem conducant. Vnde medium prorsùs ambiguum & publicæ utilitati periculosum vel inhonestum non eliget Vir fortis.* Ambiguum, *quòd dubiæ veritatis est, & tàm â parte injusti, quàm justi esse potest. Tale est* monomachia & duellũ, *cujus eventus maximè est ambiguus. Sic Marius noluit cum provocatore Teutono congredi, sed, si cupidus mortis esset, laqueo ipsum vitâ abire posse, respondit.* Frontinus l. 4. Strateg. c. 7. *Quidam duella subeunda putant, si publicâ Magistratus authoritate & pro bono publico ineantur. Ita cum princeps se imparem exercitui hostili videt, ad dirimendum bellum duellum eligere potest, Et bellum mutare in duellum. Tunc ex sufficiente causâ periculum mortis adiri putant. Per mortem enim privatam unius intenditur liberari â publico periculo mortis vel internecionis totus exercitus. In quo casu justissimam mortis subeundæ causam esse putant. Nam malitia duelli in eo est, quòd*

mors

mors non ex sufficiente causâ eligitur. Vt cum ad ostentationem virium, voluptatem spectantium, vindicandam injuriam privatam, indagandam veritatem aut justitiam, defensionem proprij honoris, bonorum temporalium, aut vitæ, cum sine duello ea defendi potest, &c. eligitur. Ita Cajetanus q. 95. a. 8. Navarrus in man. c. 11. n. 39. Valentia T. 3. d. 3. q. 17. p. 1. Becanus p. 2. T. 2. Th. Sch. c. 26. q. 1. 4. Strevesdorf d. just. & ju. q. 64. a. 3. q. 6. Alstedius Ethic. 3. c. 13. §. 3. & Th. Casu. c. 18. th. 2. n. 42. Keckerman. l. 2. Eth. c. 4. & d. 32. Curs. Phil. q. 8. Velstenius dec. 5. Eth. q. 9. D. Meisnerus l. 4. d. legib. s. 1. q. 21. D. Jac. Martin: C. 5. d. 8. q. 8. *alijq. Sed cum eventus duelli sit dubius, & penes injustum felix esse possit, non est medium, quod à fortitudine prudenter eligi aut præscribi possit. Prudentia enim non dictat media privata prorsùs ambiguæ veritatis, quæ tàm in injusto & improbo, quàm justo esse possint. Nisi peculiaris quædam accedat circumstantia, v. g. impulsus divinus, ut in Davide.* 1. Sam. 17. *aut alioquin indicium aliquod, quo à DEO peculiariter ad aliquid incitari videamur, ut in heroicis ingenijs interdum est. Sic Scanderbegus ad pugnas contra Turcas heroico impetu incitabatur.* Camerar. C. 1. c. 82. *Ita & de eventu felici confidentes erimus. Secus veritatem aut justitiam duello dijudicare, est proprium hominis, ut justitiam, veritatem, per proprium belluarum explorare, ut robur, vires corporis, agilitatem, quod insolentissimum. Et ex bello facere duellum diffidentiæ vicinum est. Potiùs causæ bonitati fidendum, nostra agenda, Deo eventus committendus: & fidendum, æq; ipsum per paucos si inferiores viribus simus, ac plures juvare posse.* V. Deut. 32. v. 30. 2. Paral. 14. v. 11. 1. Sam. 14. v. 6. 1. Macc. 3. v. 8. *Sic Lucullus contra Tigranem decertans 5. suorum amisit, & 100000. hostium trucidavit.* Erasm. l. 5. apopht. in Lucul. §.

 13.

13.16. *Cæsar. 50000. delevit, in Jubæ, Afranij & Scipionis castris, vix 50. suorum desideratis.* Plutarch. in Cæs. *Galli 1500. in Hungariâ 300000. Turcas devicerunt.* P. Matthæus l.6. hist. Franc. nar. 4. §. 8. *Et ita duella prohibentur in jure Canonico.* Can: Monomachian 2. q. 4. & c. significantibus. Concilio Tridentino ses. 25. c. 19. *Et à Theologis reprehendi solent.* V. D. Balduinum l. 4. Cas. Conscient. c. 1. q. 12. D. Brochm: L. C. d. leg. c. 12. q. 4. Danæum in l. 2. Eth. Chr. c. 13. p. 192. Martinium in piet. Chr. l. 2. c. 6. p. 297. Amesium l. 5. Cas. Consc. c. 32. P. Martyrem. in 1. Sam. c. 17. & class. 4. L. C. Loc. 18. *aliosq́.* Hottomannus *furiosas probationes appellat, ad fin.* lib. d. feud. Aliud *autem est, violentiâ injusti invasoris coactè in duellum incidere, quod nisi capessas, de vitâ periclitaris, ubi duellum est licitum, quomodo necessaria inculpatæ tutelæ defensio de jure naturali est licita:* Aliud, *spontè in duellum & ex condicto promittere, s. publicæ rei s. privatæ causâ; Quod partim temerarium, partim illicitum, utrumq́ veræ fortitudini adversum est. Duellatorum aliàs exempla in sacris* 1. Sam. 17. v. 48. 49. 2. Sam. 2. v. 15. *In profanis* ap. Curtium l. 7. c. 4. l. 9. c. 7. Camerar. C. 2. c. 19. 20. 21. D. Jac. Mart. c. l. Keckerm. disp. 32. c. l. Zuingerum Vol. 17. l. 4. p. 2523. Pet. Messiam l. 2. mem. c. 8. & l. 4. c. 8. *aliosq́ vide.* Medium inhonestum *& illicitum, quod honestati sanæq́ rationi repugnat. Tale est homicidium, proditio, veneficium, dolus illicitus. Nam finis virtutis sub formali honestatis intendi debet.* dis. 2. t. 14. *Non potest autem formale honestatis servari, Ubi media sunt inhonesta.* V. c. l. t. 9. *Ita Fabricius respuebat venenum à Medico oblatum ad interficiendum hostem Pyrrhum, eoq́ verè fortis erat. Alij hostium aquas intoxicabant, ut eos tollerent, eoquè minus fortes erant.* V. d. 3. t. 9. *Alij sicarios in capita hostium conduxerunt,*

xerunt, Vt Darius in Alexandrum. Curt. l. 4. c. 10. 11. *Alij in alios, quos sublatos voluerunt.* Camerar. C. 1. c. 30. C. 2. c. 7. *Et veræ fortitudinis laude exciderunt.* Dolus inhonestus *est in mendacijs, periurijs, fidei elusionibus, æquivocationibus, violationibus. Exempla eorum Idem* C. 2. c. 77. 78. *habet. Doli tamen liciti hic excipiendi, & honesta, ut vocant, furta, ut sunt strategemata militaria, hostis elusiones citra fidem violatam. Sic Parmenio suadebat Darium noctu aggredi, quâ major terror inferri posset. Sed Alexander renuebat ita vincere, quanquam aliàs id licitum erat.* Curt. l. 4. c. 13. Objectum *etiam forti ponderandum, ut sit honestum, utile, & laudabile. Vnde cum pericula obeunda veniunt, ex quibus nec utilitas, nec laus aut gloria speranda, jure dolere potest, cum* Achille, *ubi se in Scamando fluvio periturum videbat,* ap. Homerum l. 21. Iliad. Aeneâ, *naufragium instans metuente* ap. Virgilium 1. Aeneid. v. 98. 99 *seq.* & Alexandro, *ignobili morte vi morbi, ereptâ è manibus victoriâ, se extingui debere dolente ap.* Curtium l. 3. c. 5.

21. Progrediendo, *Vt rem ceptam* partim *animosè administret, sic Abraham cum 300. Viris animosè Reges 5. invasit & oppressit.* Gen. 14. partim *constanter continuet,* & *patienter sufferendo difficultates, unde qui difficultatibus succumbunt ex impatientiâ, minùs sunt fortes, ut Cato Vticensis, se interficiens:* & *acriter propositum urgendo, nec secundis animum extollendo, nec adversis deprimendo. Vnde* Horatio Fortis & in seipso totus teres atque rotundus *dicitur.* l. 2. sa. 7. *Sic Cato mutatâ Reipubl. formâ ipse constantissimus in proposito perseveravit.* Desistendo, *ut & tempus desistendi à fortibus factis legitimum servetur, & modus desistendi conveniens adhibeatur.* Tempus, *ne desistatur, quando res non desistere, sed pergere requirit. Sic Caligula malè in Italiam se*

recipiebat, & conchas marinas velut spolia Capitolio debita referebat, cum hostem Germanum vix vidisset, minùs profligasset. Sueton. Calig. c. 43. 46. Modus *desistendi, ne finiendo fortia facta sævitia aut in miseros exerceatur, aut plus sanguinis desistendo fundatur, quàm pugnando fusum erat. Ita Caligula post bellum legiones quasdam contrucidare voluit.* Idem c. l. c. 48. *Persæ crudeliter in 4000. Græcos captos sævierunt post pugnam, manibus, pedibus, auribus quibusdam resectis, & barbararum litterarum notis inustis.* Curt. l. 5. c. 5. *Quidam & in cadavera sæviunt, ut Achilles in Hectoris,* ap. Homer. l. 10. Iliad: *Alexander in Batys,* ap. Curt. l. 4. c. 6. *Sylla in Marij.* V. Camer. C. 1. c. 3. *Hic illud cogitandum:* Cessat post funera livor. *Et* pugna suum finem, cum jacet hostis, habet. *Fortis irasci potest, sed iræ modum tempusq; ponere potest.*

22. *Ex* objecto *dicitur fortitudo mediocritatem servare* in formidabilibus. *Objectum fortitudinis est, circa quod domandum frænandumq; illa occupatur. Hoc* vel *internum esse potest, quod in ipso forti est: estq; affectus irascibilis, ut metus & confidentia, ut illos ad prudentem moderationem fortitudo redigat:* vel *externum, quod extra fortem est, eumquè circumstat, estquè generaliter omne Terribile,* πᾶν φοβερὸν, *quod homini timorem incutere potest. Hoc est* vel *supra hominem, quod hominis capacitatem animumq; excedit. Estq;* vel *divinum, ut Eclypsis Solis tempore patientis Christi, tenebræ Ægyptiacæ, diluvium Noëticum, inundatio maris rubri adversus Pharaonem & milites ejus:* Vel *magicum, ut spectra & terriculamenta diabolica:* vel *physicum, ut tonitrua, fulgura, terræmotus, incensiones tempestatum, grandines, inundationes, similesq; iræ divinæ prodromi: Hæc metui à forti possunt, quia per suas animi vires nihil potestatis homo habet*

ad

ad illa producendum, aut facultatis ad avertendum. Et qui talia non metuunt, aut athei sunt, aut insani, aut insensati. Ita Xerxes mari catenas injici, plagasquè infligi jussit. Psylli contra ventos bella gerebant: Celtæ contra fluctus marinos: & è corruentibus ædificijs non egrediebantur, quamvis possent. Herodot: lib. 4. Lansius Or. p. Galliâ. *Salmoneus Aegypti R. super ponte æneo currus agendo fulmina imitatus est. Caligula machinam, πέτροβόλον, habuit, quà tonitrua fulgurag, æmulabatur. Idem Cosroes Persarum Rex fecit.* Camerar. C.2. c.28. *Et Alladius Vir impius & tyrannus, veris tandem fulminibus absumptus.* Melander T.1. jocos: c.566. *Athenodorus ædeis ob spectra infames ultrò inhabitavit, & occurrens spectrum cum lychno ad locum, ubi evanuit, comitatus est.* Plin. l.7. ep.27. *Democritus Abderita nihil spectrorum verè extare arbitratus, cum à juvenibus quibusdam larvarum speciem ferentibus terreretur, desistite tandem, dixit, nugari.* Camerar. C.1. c.72. *Brutus spectro se terrenti, &, ad Philippos me videbis, dicenti, interritus, Videbo, respondit. Omnes præter rationem, & extra veram fortitudinē:* Vel infra hominem, *quod vilius est, quàm ut ab homine timeri debeat, ut concußio foliorum arboris, inferior conditio in ludo, figmenta anilia:* vel circa hominem, *quod humanam conditionem non excedit, & vitari ab homine potest.*

23. *Tale quid vel formidandum forti* absolutè *est, ut omne vitiosum, inhonestum, famæ honestatiq; dedecus inurens: Verè n. fortis mortem potiùs subit, quàm ad inhonesta deflectit: Et vitiosa totaliter cavet fugitq;, si non satis timere est:* Vel comparatè, *& modò metuendum, modò assumendum. Hoc indifferens & neutro modo se habens est. Sic formidandum, si quis propriâ culpâ in carcerem trudatur, supplicio afficiatur: non formidandum, si virtutis ergò aut alieno sce-*

lere. Tale terribile indifferens vel primarium *est, quod maximè omnium terribile, estq́* mors moralis *honesti gratiâ inflicta, terribilium terribilissimum* Aristoteli 3. Nicom. c. 9. Non *naturalis, morbo vel senio illata,* nec *prorsus fortuita a. violenta, cum ruinâ, incendio, fluctibus, &c. improvisò quis hauritur: Sed* moralis, *ob causam positivam moralem subeunda. Haec* vel *in militiâ & sago spectatur, estq́ mors bellica honestatis & legitimae causae gratiâ suscepta: haec inprimis hic attendi solet, quae pulcherrima ob decorem, difficilima ob certamen, honestissima ob causam & intentionem:* vel *pace & togâ, cum extra bellum in statu pacato ob honestam causam mors sustinetur, ut ob veram fidē, innocentium defensionem, virtutem peractam, opus caritatis, religionis, honestatis. Huc mors* Martyrum *pertinet, quae pretiosa coram Deo, & qui verè fortes dici possunt, sed in fine spirituali. De quib.* Gutkium d. Eth. 5 q. 3. Eustach. S. Pauli p. 3. Eth. t. 3. s. 3. q. 2. Lessium l. 3. d. iust. & jur. c. 1. dub. 2. *aliosq́ videas. Etsi Aristoteli de tali fortitudinis specie nihil cognitum fuerit. Quidam ipsos* heroës *vocant, & ipsum Christum heroëm, ut* Bembus. *Contrà sentit* Scaliger, *vocem impiam & gentilem esse, ex semisse Deum & hominem notantem, monstrorum figmenta exprimentem.* V. Taubman. in Cul. Virgil. v. 354. Vel secundarium, *quod est omnis adversitas homini incurrens, ut exilium, carcer, ablatio bonorum, infamia, paupertas, miseria, labores, molestiae, mendacia, calumniae, opprobria, contemptus, injuriae, &c. Quorum quaedam contemnenda, ut mendacia, calumniae, opprobria, injuriae: quaedam subeunda & superanda, ut labores, molestiae: quaedam sufferenda, ut paupertas, miseria, exilium, carcer, &c. Cogitandum, ad hoc sacramentum adactos nos esse, ferre mortalia: nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non* est.

est. Optimè miserias ferre, qui abscondant. &c. Plura horum ap. Senecam l. quòd in sap. n. c. i. c. 8. 9. de tranq: anim. c. 10. 11. 12. Curtium l. 5. c. 5. (*Cui simile quid in* Euphormione p. 5. c. 5. *reperies*) Jonstonum l. 3. Eth. c. 2. m. 5. *videas. Vtrumq; formidabile* aut est repentinum *& subitò ingruens, Contra hoc animum semper instructum geret fortis, & accidere sibi posse cogitet, quod cuiquam potest. Serò enim animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur: & si non, quidquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit. Vide pulcrè* Senecam d. tran. an. c. 11. & l. 3. d. irâ, c. 37. *Magis etiam percellunt repentina, & magis acquisiti habitus indicium, etiam subita fortiter expedire posse:* Aut prævisum *& præscitum, de hoc dici solet: Tela prævisa minùs nocent. Et,* leviùs solet timere, qui propiùs timet. Senec. in troad. a. 3. s. 1. *Ita Socrates post sævas debacchationes à Xantippe lotio perfusus, sciebam inquit, post tot tonitrua pluviam secuturam. Ex* fine *fortitudo medium servare dicitur honestatis & publicæ utilitatis gratiâ. Hæc ex* t. 19. *patent.*

24. *Visa est* definitio *fortitudinis, ex eâ objectum & finis: Causæ cæteræ ex parte per* d. 3. t. 15. *patent.* Subjectum *ejus est* vel *denominationis, ut homo, mas primarium, Cujus exempla* Hornejus l. 2. Eth. c. 6. n. 7. & l. 3. c. 5. n. 7. Zuinger. vol. 6. l. 3. 4. *suppeditant. De* Adamo *hic quæri solet:* an in eo integro locum habuerit fortitudo? *Habuit ratione habitus & per eminentiam quandam, etsi non ratione actus & objecti adversi, quod in statu summè felice locum habere non potuit: Nec ratione extremorum, timoris & audaciæ, quæ ibi non fuerunt. Deinde fuit in Adamo habitus concreatus, non acquisitus, ut in nobis. Conf.* Chr. Matthi. l. 3. Eth. ex. 2. q. 1. *fœmina secundarium, quarum exempla ap.* Curt. l. 5. c. 6. l.

6.l.6. c.5. Apolephtem p. 1. erquick. p.547. seq: p. 2. p. 199. seq. Zuinger. c.l.l. 1. vel *inhæsionis, ut voluntas & appetitus irascibilis, cujus motus cumprimis fortitudo coërcet*. V. t.22. *Ex* divisionibus *fortitudo* vel *est suscipiens, quæ* φοβερὰ *aggreditur*, vel *tolerans, quæ perfert. Unde illud Epicteti:* ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine & abstine*. Leid vnd meyd / *in fortitudine praxi exprimendum. Utraq;* vel *togata, quâ in pace adversa sustinentur: hæc* vel *privata & domestica, quæ in familiâ privatâ esse potest*, vel *publica & Politica, quæ in prudenti Reip. administratione exercetur:* vel *sagata, quæ in bellicâ administratione exercetur. Ita pericula adire, annonæ penuriam ferre, mortem etiam intrepidè subire fortem bellatorem docet. Sed* an hæc Christiano digna, adeoque an universè bellum Christiano gerere liceat, *hic quæri solet? Nam ex Veteribus* Tertullianus, *ex novellis* Anabaptistæ, Photinistæ, Paracelsistæ, Stiefelistæ, Weigeliani, Arminiani, Erasmus, Agrippa, novi Prophetæ, *& alij, bellis Christianorum sunt iniquiores, ut alibi plurib. dicetur. Scriptura tamen concedit indiversim, bella licere, non Christianos excipit.* Matt.22.v.21. Luc.3.v.14. Rom.13.v.4. *De quo toto plura* D. Gerhard.d.Magist. §.75.76. 369. seq: D. Brochm: L.C. d. Magist: c.2.q.10. Amesium l.5. cas. Consc. c.33. Alstedium Th. Cas. c.18. §.3. Sohnium T.3. op. exeg. in Psal. 60. p. 168. seq. *aliosq; videris.* Ex gradibus *fortitudo etiam usitata & inusitata dici possit, quæ & magnanimitas vocatur. De his* d.6.t.20. *seq. quædam agentur.*

25. *Ita* absolutè *fortitudo spectata:* Respectivè *cum cognatis, disparatis, & oppositis spectetur.* Cognata ej⁹ *sunt partim fortitudinis impropriæ species*, t.16. *traditæ:* partim *patientia Philosophica, malorũ inevitabiliũ æquabilis tolerantia, quâ levius fit, quidquid corrigere est nefas.* Horat.l.1.od.24.

Ita Carolus V. in articularis morbi doloribus optimum medicum dicebat patientiam & modicum clamorem. Gedult / vnd ein wenig schreyen. Manlius Collect. p. 755. *De hac dicitur: Ferre decet patienter onus, quod ferre necesse est; Qui jacet invitus, durius ille jacet. Ejus exẽpla* ap. Valer. M. l. 3. c. 3. Apolephten p. 1. erquick p. 550. *seq. vide. Vocis significata discutit* Timpler. c. l. q. 5. *partim tolerantia, de quã* d. 9. Disparata *sunt omnes habitus intellectuales & morales. Ex moralibus hic quæritur:* Vter præstantior, fortitudo, an justitia? *Agesilaus justitiam prætulit, quòd omnib. justis nullus usus esset fortitudinis.* Erasm: 1. apo. in Ages. §. 60. *Disting. hic inter justitiam Vniversalem & particularem: & inter utilius & præstantius, ex* 3. Topic. c. 2. *Fortitudo potest esse præstantior, sed justitia eligibilior & utilior. Ita* Arist. c. l. c. 3. *justitiam* αἱρετώτερον τῆς ἀνδρείας *vocat. Vide &* Scalig: ex. 106. f. 2. Opposita *ejus sunt vel apparentia, vel vera.* Apparens *fort: Oppositum est religio Christiana* Machiavello l. 2. comm. c. 2. *quæ gloriam humanam abjiciat, animosq́ imbelles & demissos reddat: cum Ethnica animos excelsos & audaces gentilibus conciliârit. Mendacissimè.* V. Antimachiau: l. 2. Comm. th. 3. Vera *sunt primaria vel secundaria. Primaria excessus & defectus.* Excessus *audacia & illicita confidentia, nimia in adeundis periculis sine ratione fiducia. Hac in illis, qui solâ regnandi libidine alios invadunt, bella movent, terras sibi arrogant. Qui scientes in injustâ causâ militant: duellatores & provocatores temerarij.* V. t. 20. *facinorosi, qui tormenta intrepidè sustinent, quæ sceleribus justè meruerunt. Quos* Agesilaus *insigniter miseros dicebat, ut qui tolerantiam in res flagitiosas collocarent.* Erasm. l. 1. apo. in Agesil. §. 4. *Ita sagæ lacrymas in torturâ non emittunt, etsi mulieribus illæ familiares.* Bodin. l. 4. dæmon. c. 1. Camerar. C. 2. c. 26. ῥιψοκύνδινοι, *qui pericula de industriâ rapiunt, non oblata capiunt, quæ subire non tenentur. Vt* Ascanius, *qui* optat aprum aut fulvum descendere monte leonem, *ap:* Virgilium 4. Aeneid: *Gladiatores temerarij, qui spurci lucri gratiâ in vulnera & mortes ruunt, sibiq́ nocere intendunt. Quod certandi genus a-*

pud Ethnicos usitatum, apud Christianos ferri non debet, sed severissimè interdici, exemplo Christianorum Imperatorum. V.Codic. l.11. c. 43. *Confer* D. Balduin: l.4.Cas. Cõsc.c.1.q.11. Brochm: L.C.d.leg. c.11. s. 4.q.4. Amesium l.5. Cas: consc.c.32. *Hic & alibi præmijs incitantur talia certamina: sed malè, & contra* 1.Cor: 13.v.5. Defectus *est timiditas, vitium, etiam vilissima & infra hominem posita pertimescens: Vt pusillanimes, molles, & effoeminati, qui folij strepitu movẽtur: delicati, & quarumvis ærumnarum impatientes: facilè & vili de causâ lacrymantes, ut pueruli, mulierculæ: aliàs justis causis profusæ lacrymæ non mollem arguunt, ut lacrymæ pœnitentiæ Petri, condolentiæ Christi, gaudij. Autocheires & proprij jugulatores, qui impatientes magis & timidi sunt, quàm fortes: succumbunt n. oneri, quod ferre debebant, ut Saul, Curtius, Pilatus, Judas, Cato, Saguntini, Vxor Asdrubalis, alijq́, quorum exempla passim prostant.* V. Valer.M.l. 3. c 2. Flor.l.2.c.6.15.18. Cæsarem l. 5.bel. Gal.c.33. Camerar.C.3.c. 78. *Apud gentiles admittebatur autocheiria & laudabatur.* Lipsius *ex parte illam probat in summâ necessitate, ut si quis paulò ante tempus ex ædibus conductis decedat.* Cen. 2. ep. 22. Hieronymus *in Ionam,* Ambrosius l.3.de virginit: *castitatis servandæ causâ eam admittunt. Stoici & Plato approbârunt.* V. Eundem l. 3. manud.c.22. *Sed malè omnia, ut* c.23. *probat. Rectè* Plato in Phœdone *injussu Imperatoris neminem è præsidio secedere oportere dixit, Vt pulcrè explicat* Macrobius l.1.in som.Scip. c.13. *Contra legem Dei, naturæ, sanæ rationis, & civilem est, sibi ipsi vitam eripere, quæ ad utendum data est, non eripiendum. Nec ex ædibus ante discessum exire oportet, si te mansurũ condixeris, Quod omnis naturæ Civis fecit. Sic masculè Darius alieno scelere quàm suo mori se malle dicebat.* Curt. l.5.c. 12. *Plurib. hac de re vide* Sigfridum pecul. tract. d.autcheiria. Augustin. l.1.d. C. D.c. 26.D. Gerhard. d. mort. §.67. D.Brochm.L C.d. leg.s. 4. q.1. c.11. Lipsium l. 3. manu. c.1. Muretum l. 4. V. L. c.2. *aliosq́.* Secundaria *fortitudinis opposita omnes illi sunt, qui gentilibus, ut Alexandro, Pompejo, Cæsari, veram fortitudinem bellicam negant, quòd sine fide Christianâ fuerint, Vt* Augustinus, Hieronymus, *& alij. De quo* D. Meisnerum d.21. Antrop: q.14. *vide.* Antiputeanus *quidam* c.stateram litt. I. *Principem Auriacum nec fortem, nec prudentem judicat, quòd hæreticus sit. Ineptè utrumq́, Cum definitio* t.18. *tradita ei citra fidem Catholicam competere possit. Et hæc de Temp. & Fortitudine per theses dicta sufficiant.*